

# UN CARTULARIO

de Santa María la Real de Nájera del año 1209

POR

JULIAN CANTERA ORIVE

(Arceiliano de la Catedral y Profesor del Seminario de Vitoria. Académico de la Historia)

(Continuación)

## D. XXII

*Crismón.* IN nomine sancte et individue trinitatis. Inter cetera (*un espacio en blanco*) pietatis opera piissimum est ecclesias dei diligere et eisdem subiectos et servientes: ab alieno gravamine relevare. Eapropter Ego ALDEFONSUS dei gratia Rex castelle et toleti, una cum uxore mea alienor Regina, libenti animo et voluntate spontanea, pro animabus parentum meorum, et salute propria, facio cartam donationis, libertatis, et absolutionis, omnibus collaciis ecclesie sancte Marie de Valcorna que est in lucronio, presentibus et futuris in perpetuum valituram. Dono itaque prefatis collaciis iamdictæ ecclesie, et jure hereditario habendum statuo, ut nullus dominus ville, nec merinus regius, nec sayon, nec aliquis alius homo, nisi fuerit de prefata ecclesia, a prefatis collaciis aliquid requirat, nec aliquid gravamen vel violentiam eis faciat, nec aliquid umquan penitus regi vel domino illi pectent, nisi cum vicinis ville secundum vicinitatem ville. Dono etiam eis et concedo, ut herbas, pascua, montes, aquas, ingressus, et egressus, comunes habeant cum concilio lucroniensi: omni tempore, sine contraria et contradictione. Siquis vero hujus mee donationis et absolutionis paginam, in aliquo rumpere vel diminuere presumpserit: iram dei omnipotentis plenarie incurrat, et cum juda domini proditore: penis infernalibus mancipetur, et insuper: Regie parti Mille Aureos in cauto pectet, et dampnum quod intulerit: iamdictis collaciis sepedictæ ecclesie, vel vocem eorum pulsanti, dupplatum restituat. Facta carta

apud Naiaram, ERA, M.<sup>a</sup> CC.<sup>a</sup> XVIII.<sup>a</sup>, XIII.<sup>o</sup> Kalendas julii. Et ego Rex ALDEFONSUS. Regnans in castella et toleto, hanc cartam quam fieri mandavi : manu propria roboro, et confirmo. *Subscripciones : Primera columna :* Rodericus Calagurrensis episcopus. Petrus Burgensis episc. Raimundus palentinus episc. Sancius Abulensis episc. Comes petrus. Comes ferrandus. Comes Gomez. *Segunda columna :* Petrus roderici de azagra, ferrandus roderici de turgello. Didacus lopiz. Petrus garsie. Petrus de Arazuri. Lupus didaci de mena. Lop diaz merinus regis in castella. *Entre ambas columnas signatura real y dentro de la rueda :* SIGNUM ALDEFONSI REGIS CASTELLE. *Alrededor de la signatura :* Rodericus gu-tierrez maiordomus curie Regis confirmat. Gomez garsie de roda Alferiz Regis conf. *Final :* Magister Geraldus Regis notarius. Petro de cardona existente Cancellario, scripsit.

#### D. XXIII

*Crismón.* Quoniam que a Regibus dantur vel conceduntur, ne oblivioni sint tradita : literis annotantur : Idcirco Ego Rex SANCIUS. ADEFONSI Imperatoris filius, cum consensu patris mei imperatoris et ejus auctoritate, facio cartam et textum firmitatis : necnon roborationis et confirmationis, eo tempore quo pater meus imperator dedit mihi regnum Naiare, cum portaticu ogronii, eodemque matre mea imperatrice mortua, de decimo de portaticu ogronii, et Naiare, deo et sancte Marie de Naiara, et domno Petro Cruniacensi Abati, et domno Busoni ejusdem monasterii Camerario, ad opus vestimenti monachorum sancte Marie Najarensis, do et concedo supradictum portaticum, scilicet decimam partem, sicut jam dedit pater meus et concessit, per cartam donationis et confirmationis, pro remedio anime mee necnon et parentum meorum, et matris mee nuper defuncte : habendum et possidendum, evo perhenni, et secula cuncta. Siquis vero hoc meum factum, et patris mei, de nostro vel alieno genere, dirumpere temptaverit : sit maledictus et excommunicatus et in inferno cum juda proditore dampnatus, nisi resipuerit. Facta carta Carrione. ERA, M.<sup>a</sup> C.<sup>a</sup> LXXX.<sup>a</sup> VII.<sup>a</sup> et quod erat III.<sup>o</sup> Kalendas martii, ADEFONSUS Imperator confirmat. Ego Rex SANCIUS. Adefonsi imperatoris filius, quod fieri jussi : robore proprio confirmo. *Al margen signatura real y dentro :* SANCIUS. *Subscripciones : Primera columna :* Bernardus toletanus Archiepiscopus confirmat. Petrus compostellanus Archiepiscopus conf. Bernardus Seguntinus episcopus conf. Be-